DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

Qua

ANIMAM RATIONALEM VITÆ, SANITATIS, MORBORUM ET RECONVALESCENTIÆ CAUSSAM ESSE EFFICIENTEM, ADSERITUR ET DEMONSTRATUR.

Quam

SUPREMO ARCHIATRO PRÆSIDE

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI

MEDICORUM ORDINIS

in Celeberrima Academia Regia & Electorali DUISBURGENSI

Pro

GRADU & Privilegiis in MEDICINA Doctoralibus ritè obtinendis

Publicæ Eruditorum cenſuræ ſubmittit

RANCISCUS PETRUS SCRIBA
HERBORNA - NASSAVIUS
Medicus Comitatus Greiffenſteinenſis Ordinarius

Die Novembris H. L. Q. C.

DUISBURGI AD RHENUM,
Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi,
Anno MDCCXXI.

I. N. D. T.

CAP. I.

De ANIMA VITÆ CAUSSA.

§. I.

SOlam *animam*, ab actu ejus ſolenniori *rationalem* dictam, unicam eſſe & immediatam *vitæ* corporis, per varios, & maxime quidem concinnos, ſoliciteque proportionatos motus præſtandæ, atque ita conſequenter ipſorum *motuum vitalium*, ne ullo quidem excluſo, tanquam vitæ incoandæ & perpetuandæ inſtrumenti, præſidem atque cauſſam *efficientem*, ut hucusque a Philoſophis & Medicis, mechanicarum legum ſucceſſibus imbutis, contra ipſas tamen mechaniſmi regulas, pertinaciter negatum fuit, ut nos e contrario eo clarius demonſtratum demus, quin extra omne dubium ponamus, ipſius ante omnia ANIMÆ *deſtinationem*, & ſummi conditoris in producenda ea ſcopum glorioſiſſimum paulo altius repetere haud inconſultum arbitramur.

§. II.

Deus ſibi ſoli ſufficiens, & ex ſe undiquaque beatus, nec ulla extra ſe creatura ad beatitudinis ſuæ complementum indigens, immenſas amoris ſui, bonitatis, omnipotentiæ, ſapientiæ, cæterarumque adorandarum ſui proprietatum divitias, quæ in æter-

num alias in ſanctiſſima ejus eſſentia abſconditæ latuiſſent, manifeſtaturus, ex liberrima plane voluntate alias extra ſe ſubſtantias, idealiter primum in omnipotenti ſua imaginatione conceptas, produxit, ex parte ſua ipſis conceſſa immenſa vitæ deſideria ac facultates ſolo Deo ejusque lumine ſatiaturas; ex parte præter hoc immediatum cum ſummo bono commercium cum cæteris quoque orbis ſpectabilis incolis, ſtatim per creationem luci exponendis, per ſenſus extra verſos commercia exercituras, ſicque ab utraque parte in admirationem ſummi boni, ea propter perenni laude concelebrandi, & amorem ejus rapiendas.

§. III.

Prodierunt itaque mentes angelicæ, & poſt reliquas demum creaturas, ſenſibus obvias, ſex dierum ſpatio quam pulcerrime ac ſapientiſſime diſpoſitas & elimatas, *humana*, in harmonia illas a conditore ſtabilita conſervatura, & juxta præſcriptum a ſummo legumlatore ordinem iisdem imperatura.

§. IV.

Hæc ultima itaque, præter dictum ſupra immediatum cum Deo per conceſſa ipſi deſideria & facultatum immenſas capacitates, reliquisque mundi ſpiritualis incolis exercendum commercium, creatis quoque viſibilis hujus mundi ſubſtantiis per ſenſus, neceſſario externos, explorandis, contemplandis, juxta divinam voluntatem tractandis, iisque fruendis finaliter deſtinata, neceſſario *corporeo* quoque inſtrumento, rerum corporearum percipiendarum medio, earumque proprietatibus ex aſſe convenienti, erat veſtienda, otioſus alioqui futura orbis hujus habitator, cum ſine ſenſoriis corporeis abſolute *nihil* quidquam cognoſcere, neque *voluntatem* exſequi ſuam ſine organorum corporeorum miniſterio poſſit.

§. V.

Eum in finem corpori, ex optima & defæcatiſſima terreſtris limi portione a ſapientiſſimo conditore quam artificioſiſſime fabrefacto, & finibus animæ atque deſtinationi aptiſſime adcommodato, non obſtante tamen mechanica hac ſtructura, tanquam nuda materia, plane paſſivo, a Deo inſpirabatur, iſtud vivificatura

catura & tractatura, ac juxta conceſſas ſibi facultates, quibus congruentiſſime adaptatum erat, res extra ſe poſitas, per illud perceptura, dijudicatura, & varios in illud & per illud pro exigentia motus agitatura.

§. VI.

Ex quibus luce clarius meridiana adparere arbitror, corpus nequaquam *propter ſemet ipſum* exiſtere, cum ita nullus plane ipſius uſus eſſet, neque probabilis ullus allegari poteſt, Deus autem & natura nihil fruſtra, h. e. ſine ſcopo finali, faciant, ſed abſolutiſſime ſolum *propter* ANIMAM, pro organo ad exercendum cum rebus ſenſualibus commercium, tanquam ſcopum commorationis animæ & quaſi obambulationis inter res creatas, inſerviturum, quo adpoſite etiam pro arbitrio ſuo uti novit.

§. VII.

Cum autem nullum unquam *inſtrumentum*, utut quam aptiſſime juxta omnes mechaniſmi (neutiquam ipſum motum, ſed mobilitatem tantum, h. e. ad motum ſubeundum aptitudinem, involventis) regulas exaſciatum, ſemet ipſum *ex ſeſe* movere poſſit, ſed actualem demum impreſſionem motus ab *alio* quodam *agente*, ipſi extrinſeco, cujus fini, per illum impetrando, eſt proportionatum, atque ita *finaliter*, nimirum *intelligenter* movente, exſpectet, immotum alioqui jaciturum: ita ab omni certe conceptu alieniſſimum foret, corpori, puri puti tantum inſtrumenti, ut audivimus, vices ſuſtinenti, proprios ex legibus mechanicis attribuere motus, ſine cauſſæ alicujus moventis concurſu, quod ne quidem fieri poſſe, vel ſimpliciſſimus quisque, ſi modo ad ſemet ipſum attendat, obſervarit. Si enim corpus inſtar *machinæ*, ut lepide ajunt, *hydraulico-pneumaticæ* per mechanicas motuum leges, primitus impreſſas, & vi hujus impreſſionis ſemel factæ adhuc efficaces, moveretur, motus illi, ut omnium machinarum, niſi *novo* moventis concurſu, *uniformes* ſint, neceſſe eſt, cum quælibet motus *variatio* & mutatio novam neceſſario illius motus *impreſſionem* ab agente expoſcat; motus autem corporis non ſolum *infinite* ſint *variabiles*, ſed revera, parvis ſæpe momentis, *re ipſa* varientur, & quidem, quod bene

 notan-

notandum, non *tumultuarie*, ſed exquiſito *numero*, *gradu*, *intenſione*, *dimenſione*, pro *animæ* ipſius lubitu & arbitrio, & ſcopi, illis impetrandi, *finali* neceſſitate, quo obtento ſponte ceſſant, contra omnium machinarum naturam & methodum; cui accedit, quod nequaquam *univerſum* corpus, quod fieri tamen neceſſe foret, ſed *definita* tantum *membra*, fini conſequendo adcommodata, intelligenti *electione* moveantur, abunde hinc diſpaleſcit, ſine concurſu *principii* cujusdam *moventis*, & quidem, cum ipſe *motus*, teſtibus ejus eſſentialibus proprietatibus, ſit res *immaterialis*, effectus autem ſemper teſtetur de ſua cauſſa, neceſſario quoque *immaterialis*, quin imo, cum motus etiam *intelligenter*, nimirum certo alicui fini & ſcopo præfixo impetrando convenienter & proportionate inſtituantur, etiam *intelligentis*, ſpecialiſſime denique, cum exquiſite ipſius *animæ* intentionibus, unoquoque, ſi velit modo, illius conſcio, congruant, ANIMÆ, id fieri non poſſe: imo auſim aſſerere, ipſi Deo, infinite bono & juſto injuriam fieri, ſtatuendo, corpus humanum moveri juxta motuum leges primitus impreſſas, atque ita *immutabiles*. Cum enim quotidie corpus juxta pravas animæ corruptæ concupiſcentias moveri, atque ita peccata, intus concepta, per corporis organa in actum deduci videamus, quin ipſos *motus vitales* per animi ita dicta pathemata, ſæpe *impia*, *mutari*, turbari, in transverſum rapi, quin ad *mortem* usque ſæpe alterari, non medici ſolum, damnis inde ortis ac defectibus medendis adhibiti, convincamur, ſed vel ipſum vulgus, obvia quotidie experientia edoctum, noverit, unum ex duobus ſequatur neceſſe eſt; vel enim ipſemet Deus pravas & perverſas motuum leges impreſſit, quod autem de Deo ſumme bono & ſapientiſſimo ente vel cogitare tantum impium foret; vel anima, tanquam creatura, habebit poteſtatem, immutabiles tamen (immutabilem quippe auctorem agnoſcentes) motuum leges pro lubitu, ſine ulla ſæpe neceſſitate, ſed *frivolo* & *petulanti* auſu immutandi & pervertendi, ſicque creatura creatore potentior foret, quod abſurdum; & quis denique machinam, ex legitimo motuum ordine ad perverſos abreptam, priſtinis legibus reſtituet? certe

nemo,

nemo, niſi primus auctor Deus, plurimum revera negotii habiturus, ſi opus ſuum, a creatura petulanter perverſum, *novo* ſemper neceſſario concurſu reſtaurare neceſſe haberet, novis tamen futuris perturbationibus denuo obnoxium; ſed apage tales næni as. Haud multo melioris farinæ eſt ſententia *recentioris* cujusdam auctoris, alicubi prolata, corpus quidem ex propriis & a Deo inditis motus legibus moveri, quæ autem ita ordinatæ eſſent, ut animæ appetitibus & voluntati exactiſſime reſponderent, ſed deeſt omnis rationabilis conceptus.

§. VIII.

Uno itaque inconvenienti remoto, videndum nunc erit, quid de *Spiritibus* illis, animalibus vulgo dictis, quos alii motuum animalium & vitalium auctores dictitant, ſtatuendum ſit. Et primo quidem eorum exiſtentia magis hucusque dicis gratia, & per meras principii petitiones, fuit ſuppoſita, quam firmis argumentis demonſtrata. Excogitandis illis & in ſcenam producendis occaſionem dedit recepta paſſim inter Philoſophos opinio, quod *immaterialis non poſſit eſſe immediatum cum materiali commercium*, requiri itaque *intermediam* aliquam commercii mutui exercendi ſubſtantiam, *materialem* quidem, ſua autem ſubtilitate ad *immaterialis* naturam quam proxime accedentem, talis autem naturæ eſſe *ſpiritus animales*. Sed haud multo leviores, quam præcedentem, opinionem hanc premunt difficultates. Vel ipſa enim anima primum illis motum imprimet, poſtmodum per ipſos ulterius propagandum; vel ipſi *per* ſe & *ex* ſeſe, ad *nutum* tamen animæ & arbitrium, corpus movebunt. Si *prius*, eadem manebit concipiendi difficultas, quomodo cum illis, non obſtante eorum ſubtilitate tamen *materialibus*, anima motum communicare poſſit, quod ſine reali tamen *contactu* fieri nequit; nec ullatenus huic ſubvenit opinioni diſtinctio illa inter craſſius & ſubtilius materiale, hujusque majorem cum immateriali convenientiam, cum motus ab anima corpori immediate impreſſus in teneriſſimis nervorum fibrillis æque initium ſumat. Sin *poſterius*: neceſſario ſupponendi ſunt *intellectu* præditi, ut nutum animæ exquiſitiſſime *intelligere* non ſolum poſſint, ſed & *ordinate*, *pro-*

portionate atque decenter juxta *voluntatem* animæ motus adminiſtrare, ſicque, cum intellectus materiæ competere non poſſit, ex materialitate in immaterialitatem elevarentur, ubi eadem, ad quam tamen evitandam excogitati fuerant, preſſura foret concipiendi difficultas.

§. IX.

Cum itaque, quantum quidem diſſertationis limites permittunt, ſufficienter ſpero, probaverim, corpus neque per *inſitas motuum leges* mechanicas, neque per *ſpiritus animales* (quo & Archæus Helmontii, cujus, an immaterialis, an materialis proſapiæ, quis determinaverit? aliaque aliorum ad ſalvandas hypotheſes certatim conficta agentia intermedia referenda) tot *variatis* modis, & tam *concinne* ac decenter moveri, nec moveri poſſe, reliquum eſt, ſolam *animam* omnium motuum, in corpore & per corpus exerceri ſolitorum, *immediatam* eſſe cauſſam, quod quam breviſſime probandum ſuſcipio.

§. X.

Supponunt vulgo, *ſpiritus immateriales non habere poteſtatem agendi in corpora*, quod autem tantum abeſt, ut perſuaderi mihi patiar, ut ipſa potius corpora neque *eſſe*, neque *agere* in ſe poſſe, niſi per *ſpiritus*, firmiter crediderim. Spiritus namque eſt (uti Deus) qui primum corporibus dedit & *eſſe* & *motum*, quod nemo hucusque inficiari auſus eſt. Si itaque Deus, tanquam ſpiritus omnium, ut ita loquar, immaterialiſſimus, & increatus potuit agere in materiam, eamque movere, quis facultatem hanc ſpiritui creato abjudicabit? nec concipi revera poteſt, quomodo corpus moveat corpus, ſeu qui motus ex corpore in corpus transeat, niſi concipiatur *vis* quædam *ſpiritualis*, certa quadam conatus menſura, ex centro ad peripheriam, ſeſe in materiam diffundens, & modo in has, modo illas partes ſucceſſive agens; & quamvis vis illa movens per diverſos corporum ſitus diverſe determinetur, ipſa tamen *in ſe*, & *qua* agens in corpora, *ſpiritualis* eſt, & a *ſpirituali* prorſus origine oriunda: omnis enim *materia*, utut ſubtiliſſima, ex ſe & per ſe eſt *paſſiva*, nec motus principium, ſed *ſubjectum* tantum eſſe poteſt.

§. XI.

Cum itaque nullus motus nec *ſit*, nec eſſe *poſſit*, niſi a *Spiritu*, corpus autem humanum immediate ab ipſo Deo moveri, cum multi poſt lapſum motus ſint peccaminoſi, ſicque Deo adverſi, neminem, niſi Spinoſæ aſſeclam, crediturum ſpero, ſequitur neceſſario, moveri illud ab ANIMA, quod & a *poſteriori*, ſive experientia in ſenſus incurrente, probandum ſuſcipio.

§. XII.

Non motus jam animales in teſtimonium proferam, utpote qui non ad nutum ſolum animæ volentis liberrimum, eo gradu, ea proportione, ea dimenſione, quibus vult, & quæ fini ſuo quadrant, fiunt, ſed cum ipſa etiam cogitatione ſimul coincidunt, quod fieri ne quidem poſſet, niſi ipſa anima toti corpori, & *quibusvis* ejus partibus præſens eſſet, easque ipſa moveret; ſed ipſos *vitales*, quam maxime alias poteſtati animæ eximi ſolitos, in ſcenam producam: in quos *abſolutum animæ* eſſe imperium, non in corpore ſolum *formato*, motuum vitalium, & in his quidem principum, pulſorii cordis & tonici, *alterationes*, ab *animi* ita dictis *paſſionibus*, eo ipſo, quo oriuntur, momento vel ad *mortem* usque illatæ, neque quidem, quod nequaquam prætervidendum, forſitan *tumultuariæ*, ſed *generali* ad minimum ipſius adfectus, imo *ſpeciali*, nonnunquam *ſpecialiſſimæ* intentioni convenientes, ad oculum demonſtrant, exemplo *iræ*, *terroris*, *deſiderii*, & ſpecialiſſime *nauſeæ*, ſat ſæpe *fictitiæ*, ſuis quæque ſibi propriis motuum alterationibus conſpicuorum, quod per ſingula deducere neque tempus fert, neque animus; ſed & adhuc *formando*, dilucide evincunt *nævi materni*, qui nihil aliud ſunt, niſi *animæ matris*, vel vehementer *adpetentis*, vel meticuloſe *formidantis*, aut enormiter *perterrefactæ*, vel nimium intente *admirantis*, *ideæ*: *animæ fœtus*, imperio ejus & directioni ſubjectæ, *communicatæ*, ab eaque *erronee*, cum idearum verarum a falſis & fictitiis diſcernendarum adhuc imperita ſit, *in proprio corpuſculo*, cui ſtruendo adhuc incumbit, *eo* præciſe *loco*, quem mater durante adfectu contrectavit, deſignata quaſi ſtatione, & quidem, quod nequaquam obliviſcendum, cum *prio-*

ris

ris ſtructuræ, nunc pro *erronea* reputatæ (cum corpore jam quoad omnes partes formato demum fiunt) *deſtructione*, *materialiter* expreſſæ, comitantibus plerumque, quod apprime notandum, vel *immoderatis* ipſius animi *deſideriis*, vel *terroribus inſuperabilibus*, *metu* & *anxietatibus*. Sed in re per ſe clara piget prolixiorem eſſe, cæteroqui pro argumentorum ſupplemento adhuc adduci mereretur doctrina *temperamentorum*, ſive ipſius animi motuum cum animalibus & vitalibus exactiſſima, quoad gradum, proportionem, cæterasque proprietates *conſpiratio*, utrorumque *unam eandemque* eſſe cauſſam indubitato evincens: nec non *ætatum* per ſeptenarios ſucceſſio, & huic ſuperſtructa notabilis motuum vitalium *mutatio*, ex reſpectibus mechanico-materialibus in æternum non derivanda.

§. XIII.

Finis autem motuum vitalium & deſtinatio eſt VITA, ſive corporis in *mixtione* ſua & *ſtructura* conſervatio. Si itaque anima illorum, tanquam vitæ præſtandæ medii & inſtrumenti, auctor eſt atque cauſſa efficiens, neceſſario & VITÆ, ut effecti, & proprie ſcopi atque finis, cujus impetrandi gratia tot operoſi motus, *nullum* revera *alium*, præter hunc *uſum* habituri, inſtituuntur, præſes erit & cauſſa. *Solius* enim ANIMÆ intereſt, corpus *vivere*, ſeu in mixtione & ſtructura intemeratum conſervari, neque quidem per *breve* aliquod intervallum, ſed in *longum* tempus, id quod pro *duplici*, cui deſtinata eſt, fine obtinendo abſolute neceſſarium eſt.

§. XIV.

Primarius creationis finis erat, ut anima immenſis ſuis deſideriis, eapropter a creatore ipſi conceſſis, illi *ſoli* adhæreret, ejusque lumine famem ſuam ac ſitim ſpiritualem *ſolo* ſatiaret, ac in illo *ſolo* adquieſceret. Cum autem anima, inſtigante Satana, pari modo a Deo defectore, ſua a Deo, omnis boni ac luminis fonte ac origine, abſtracta deſideria in *ſemet* ipſa converteret, *ex* ſeſe & *in* ſemet ipſa illarum famem expletura ac ſatiatura, quod tamen *ſolius* Dei tantum proprium eſt, nihil autem, quod immenſis his deſideriis, acrius nunc furentibus, ſatiandis ſufficeret,

ceret, *in* ſe deprehenderet, ad Deum interim, tam turpiter repudiatum, reverti non auderet, proxima erat via, ad res creatas deſcendendi, viſuræ, an earum lumine excitatus deſideriorum furor nonnihil demulceri poſſet. Ex hac itaque miſeria, in quam anima malitioſa ſua ſummi boni deſertione inciderat, emergendi, & ad priſtinum, quem amiſerat, beatitatis ſtatum perveniendi, nulla certe alia, tum ex præſcripto Dei ordine & proceſſu, tum immutabili ipſius rei natura, via pateſcit, quam & Chriſtus ipſe, nobis imitandus, præivit, quam ut omnimoda noſtri ac pabuli rerum creatarum renuntiatione, mentis noſtræ deſideria, pro ſolo Deo facta, a carnis & ſenſuum lenociniis abſtracta, in illum tota immergamus, in illo & ex illo ſolo explenda & ſatianda, quæ ſola eſt beatitudo, & nulla alia, ad quam per media ſupra dicta impetrandam vita temporalis a Deo, mortem ſuæ creaturæ non volente, conceditur, & ab anima, in mundo hoc, tanquam peregrino domicilio, commorandi ſibi ſpatium, ipſis gentilibus fatentibus, non habitandi datum, probe gnara, operoſiſſimis certe motibus ac laborioſis conatibus præſtatur atque perpetuatur.

§. XV.

Finis animæ *ſecundarius*, & reſpectu primi *acceſſorius* erat, cum cæteris quoque orbis ſpectabilis creaturis commercia exercere, naturas earum ac virtutes explorare & cognoſcere, illisque animalia ſua deſideria tantum, ſpiritualibus in Deo defixis, explere, ac inde quoque admirandum attributorum ac virtutum Divinarum concentum ac ordinem, per creaturas manifeſtatum ac depictum, contemplari, & ex hac quoque parte in ſummi boni amorem & admirationem rapi. Et hic certe finis *tempore* & ſucceſſione opus habet, ob *innumerum* individuorum explorandorum numerum ac varietatem.

§. XVI.

Quoniam autem *corpus* poſt admiſſum peccatum, & inductam inde toti creaturæ viſibili mortalitatem *in* & *per* ſe tam diu in *mixtione* ac *ſtructura* durare minime poteſt, quin mox in corruptionem *putredinoſam*, mixtionis ac ſtructuræ deſtructivam,

cui non ſolum *velociſſimæ*, ſed & *penitiſſimæ* ex principiorum componentium (qualia tamen & non alia pro implenda finali deſtinatione ab ipſa anima ad ſtruendum corpus neceſſario adhibenda ſunt) natura & qualitate obnoxium eſt, prolapſurum, anima de certis quibusdam *ſubſidiis* ſolicita ſit oportet, quibus *corruptio* illa *putrida*, ad quam corpus animale ex mixtionis legibus quam maxime propendet, ad aliquod tempus, ipſo *actu* arceatur.

§. XVII.

Tantum hoc beneficium præſtatur, uti ſupra jam dictum, per *motus*, ab effectu, quem edunt, *vitales* dictos, *remote* quidem *progreſſivum* ſanguinis, inteſtini vitalis auctorem, & *tonicum*, quibus ſanguis per vaſa & anguſtiſſimos poros transmiſſus non ſolum fluxilis conſervatur, & a coagulatione, hancque certo certius ſubſecutura principiorum ejus ſeceſſione, & mixtionis deſtructione præſervatur, ſed & apoſpoſmata corrupta, hinc & inde in poris & ſubſtantia partium obhærentia, illarumque ſtructuram cum tempore everſura, abluuntur; *proxime* autem: cum tantum abſit, ut dictus motus humorum progreſſivus ad avertendam, cui tamen dicatus eſt, corruptionem ſufficiat, ut potius aliam loco illius inducat, tandem tamen mixtionem & ſtructuram machinæ corporeæ ſubverſuram, partes nimirum excrementitias, ſub nomine *ſudoris*, *urinæ*, *bilis*, *pituitæ* &c. venientes: *Secretorios*, quibus naſcentia illa ſingulis momentis emortualia recrementa ſolicite a bonorum reliquorum humorum conſortio perpetuo removentur, & ex parte in peculiaria receptacula, intus contra quamcumque invaſionem quaſi armata, colliguntur, commodo tandem tempore per motus *excretorios* e corpore plane proſcribenda.

§. XVIII.

Ne autem per continuam hanc corporis ex attritione conſumtionem, illud nihilominus tandem plane *fatiſcat*, partium deperditarum continua quoque *reparatione* opus eſt; quare *anima*, indigentiæ ſuæ optime gnara, deſiderio quodam, *adpetitus* dicto, in res tales fertur, quæ *particulas* in ſe continent, corpori

pori *reſtaurando* & *nutriendo* idoneas; quæ vero, quod partibus multis ad hunc uſum ineptis, ſimul ſcateant, prævia hinc *præparatione*, & *puri* ab *impuro* ſegregatione indigent. Unde cibus in ore maſticatus, & ſaliva fermentante imbutus ad ventriculum detruditur, ibidem ulterius conquaſſandus, & mediante fermentatione in chylum mutandus; ex ventriculo per pylorum expulſus in duodeno duobus liquoribus, bile & ſucco pancreatico, ſalivæ æmulo, per proprios ductus huc derivatis, perfunditur ac rareſit; ulterius per inteſtina tenuia delatus, lympha, per glandulas eorum conglomeratas adfuſa, diluitur, perficitur, & mediante motu eorum, periſtalticus dicto, in vaſa lactea, ex parte quoque meſaraica, impellitur, ex illis in ciſternam chyliferam collectus, & lympha, ex abdomine & artubus inferioribus reflua, dilutus, per ductum thoracicum ſanguini in vena ſubclavia admiſcetur, cum eo per partes poroſas transprimendus, & denique partim in ſanguinem, maxima autem ex parte in lympham, proximam nutritionis materiam, immutandus.

§. XIX.

Evicimus ſupra exemplis, jus non ſolum & poteſtatem agendi animæ eſſe in corpus *formatum*, ſed & adhuc *formandum*; *primo* itaque conceptionis *momento* præſto ſit neceſſe eſt, cum *vita* per punctum ſaliens, h. e. pulſum cordis, ſeſe manifeſtans, adſit, nec opus eſt, neque diſſertationis limites permittunt, prolixius id demonſtratum ire. Sufficit, Deum *immediatum* machinæ humanæ architectum eſſe non poſſe, teſtibus *nævis*, aliisque illius miſerandis non minus, quam mirandis deformationibus, ipſi *Deo* a memine facile, niſi *impie* agere volente, adſcribendis, quum certe contra potentiam ejus aperte pugnaret, ſi opus ſuum per *frivolas* ſæpe & *irrationales* matris imaginationes turbari & deturpari pateretur, neque textum tale ac ſtructum artificioſiſſimum, juxta exquiſitiſſimas mechaniſmi regulas & proportiones efformatum, & animæ finibus, poſtmodum per illud proſequendis adcommodatiſſimum, *fortuito* in talem formam collabi poſſe; neceſſario ergo ab *alio* quodam *agente*, *proportionum mechanicarum* ad ſuſcipiendos actus ſeu motus, finibus ſuis quadrantes,

 gnaro,

gnaro, atque conſequenter *intelligente*, & juxta nos quidem ANIMA, exſtruendum erit.

CAP. II.

De ANIMA SANITATIS CAUSSA.

§. I.

CUm *ſanitas* conſiſtat tam in partium corporis *organicarum* debita *conformatione*, *integritate* ac *libertate*; quam *actionum*, tum *animalium*, ſenſus ac motus, tum *vitalium*, pulſus & inde dependentis motus ſanguinis circulatorii, & reſpirationis, *tempeſtiva*, *ordinata*, & ad fines ſuos *proportionata* adminiſtratione; ipſa autem ANIMA, tanquam evictus ſuperius corporis architectus, neceſſario debitæ corporeorum organorum conformationis cauſſa eſſe debeat; actionum autem, quod finaliter, & ad prævíſum ſalutarem ſcopum adminiſtrentur, abſolute nulla alia cauſſa eſſe poſſit, niſi *finaliter*, atque ita *intelligenter* agendi compos, h. e. ANIMA, ut pariter ſupra abunde, ſpero, comprobatum, erit hinc conſequenter ſola quoque ſanitatis præſes, atque cauſſa efficiens.

§. II.

Nequaquam itaque ad ſanitatem *formaliter* conſtituendam ſufficit ſola partium organicarum *conformatio*, & fluidarum *temperies*; ſed requiritur inſuper *actionum*, per illas perficiendarum, *debita* & *proportionata* adminiſtratio; Videmus enim quotidie, non obſtante debita partium *mechanica* conformatione, ac *integritate* quoad texturam *illibata*, *actiones* nihilominus non ſolum *alieno* ac *perverſo modo* ac more; *alio* certe, quam *proportiones* ipſarum *mechanicæ* inferunt, perpetrari, ſed vel plane ſimul & ſemel

ſemel *omitti*, quod ſtupenda ſæpe pathematum animi in varios corporis motus, & vitales quidem efficacia, exemplis fere quotidianis teſtatur. Quid quod cauſſa alia probabilis allegari poteſt nulla, quod homines brutis *frequentius* ægrotent, æque tamen *corruptibili* corporis mixtione ac ſtructura, atque homines præditis, quam *vaga*, *inconſtans*, mox *timida* & *trepidans*, mox *temeraria*, *meditabunda* atque *anxia* animæ rationalis diſpoſitio. Sed cum contrariorum eadem ſit ratio, ulteriorem veritatis hujus explanationem transferemus ad ſequens

CAP. III.

AGENS

De

ANIMA MORBORUM CAUSSA.

§. I.

C*ontradictorium*, niſi quidem plane *abſurdum*, videri poſſet, ANIMAM *morborum* ream facere velle, cum ſuperius tamen totum motuum vitalium regimen ac adminiſtratio, morbis, ſ. mixtionis ac ſtructuræ machinæ corporeæ deſtructoribus directe oppoſita, IPSI vindicata fuerint. Unde nemo perſuaderi ſibi patietur, opinor, ANIMAM vel admiſſuram, nedum inducturam plane fore morbos, quos tamen, ut fini ſuo ac deſtinationi ſumme contrarios non poſſit non extreme averſari. Utut autem primo hæc intuitu contradicere ſibi videri poſſint, ex ſequentibus tamen evidentiſſime diluceſcet, *nullum* fere morbum eſſe, qui non vel *directe* ab ANIMA inſtruatur, vel cujus *culpa* ad poſtremum in *animam*, corporis præſidem, non redundet.

§. II.

Quo autem tanto firmius materiæ hujus indubitatæ veritati

 ſub-

ſubſternamus fundamentum, quædam ante ſuſtentata hactenus in medicorum ſcholis *præjudicia* e medio tollenda venient, ac edicendum, quid per *morbos* proprie velimus intelligendum.

§. III.

Si univerſum fere *morborum*, quibuscum humanum genus conflictari, hucusque obſervatum fuit, ſyſtema ſpectemus, & circumſtantias, *eſſentialiter* morbos concomitari ſolitas, paullo penitius conſideremus: *certum* nimirum tempus *invadendi*; per *paroxyſmos* ad momenta ſæpe exquiſitum *revertendi*, item, quod *idem* ſpecie morbus per periodos, non *menſtruas* ſolum, ſed & *æquinoctiales*, quin plane *annuas*, ut ſæpe ne dies quidem deſit, revolvatur; quod multi morbi *certis* diebus, a Medicis inde *critici* dictis, varias *mutationes* patiantur; maxime autem omnium *ſpontaneam morborum* absque ulla artificiali ſynergia *depulſionem*, & œconomiæ vitalis in integrum reſtitutionem, & quidem, quod bene notandum, non *raris* forte aut *per accidens* evenientibus exemplis, ſed potius *univerſalibus*, &, niſi *per accidens* & individualem forte conſtitutionem *impedimenta* objiciantur, *perpetuis*, teſte maxima orbis terrarum parte, *Aſia*, *Africa*, *America*, imo maxima in ipſa *Europa* hominum parte, *ruſtica* nimirum, *plebeja* & *militari* multitudine, non ſolum *exiguis* fortaſſe morbonæ inſultibus, ſed vel *periculoſiſſimis*, ut ipſis *peſtilentibus*, morbis, *innumeris exemplis* ſine ullo artificio externo, ſed ſua *ſponte* feliciter defungenti; neque quidem *promiſcua*, ſed *exquiſita* potius & exacte circumſcripta *temporis menſura*, tam in *parvis* infantum, quam diverſe *magnis*, imo *diffuſis* adultorum *corporibus*, & quidem per manifeſtas *materiarum excretiones*: ita certe ſunt comparatæ, ut *materiæ* cuidam adſcribi, vel cum ea conciliari minime poſſint; ſed cum *temporis* dimenſio, & *motuum* legitima adminiſtratio & proportionata moderatio, qua morbi ſponte expugnantur, nonniſi rei *intelligenti* competere poſſint, ipſi potius ANIMÆ, corporis mixtioni ac ſtructuræ, quia ejus quam maxime, & *ſolius* quidem intereſt, conſervandæ ſolicite invigilanti, & damna, corpori ſuo imminentia, non aliter, quam cum *indignatione* intuenti, hincque illis, ni fine ſuo

ac

ac ſcopo excidere malit, quamprimum *removendis*, imo etiam *præcavendis*, intentæ, tribuendæ ſint; ut ita maxime hucusque & periculoſe admodum peccatum fuerit, credendo & ſtatuendo, obſervandas in morbis *motuum alterationes* eſſe mere *paſſivas*, & a cauſſa morbifica *efficienter* produci, cum potius nonnihil conſideratius inſpectæ revera deprehendantur nihil aliud eſſe, quam *proportionatas motuum vitalium*, progreſſivi ſanguinis & fibrarum tonici, hincque dependentium ſecretoriorum & excretoriorum, in ſtatu adhuc integro jam vigentium, & metuendæ corporis corruptioni oppoſitorum, verum, quamdiu naſcentia ſingulis momentis apoſpaſmata ab ordinario ſtatu non deflectunt, *moderatorum* valde, *ordinatorum* ac *placide* decurrentium, *intenſiones*, neceſſario majori cauſſæ lædentis energiæ, ſ. extraordinariæ partium excrementitiarum activitati corruptivæ pari gradu opponendas, in *ſalutarem* finem ab ipſa ANIMA conſulto inſtitutas, quanquam variis, *inſeparabilibus* tamen, moleſtiis ſtipatas, eas propter tamen nequaquam pro *morboſis* reputandas, & hinc omni conatu *ſupprimendas*, id quod quo ſucceſſu, ex morbis conſequentibus demum peritioribus ſæpe videndo, hactenus perpetratum fuerit, vel ipſis talium patronis, frequenti experientia tandem edoctis, ignotum eſſe nequit.

§. IV.

Nequaquam interim diffitemur, dari quoque *aliquas*, quanquam, ſi cum activis conferantur, *paucas* læſiones *paſſivas*, ab ipſa cauſſa lædente *efficienter* factas, plerumque tamen ab *activis*, perverſe cedentibus, introductas, vel tamen denique ipſam *animam* pro cauſſa agnoſcentes, ſi non efficiente, tamen *ſine qua non*.

§. V.

Ut autem præcedentium adſertorum veritas eo clarius eluceat, ſingulæ *morborum* claſſes percurrendæ erunt, ac demonſtrandum, quænam *activæ*, quænam autem *paſſivæ* habendæ ſint. Primus itaque locus atque primarius merito eſto HÆMORRHAGIIS, quia plerorumque morborum ſunt fundamentum. *Active* illas ab ipſa ANIMA pro *ſalutari* ſcopo, nimia ſc. ſanguinis *abundantia*, cujus tamen ipſa quoque cauſſa fuit, imminuenda,

&

& *incommodis*, imo damnis inde metuendis, ſpiſſitudine nim. facili inde ſtaſi, hinc inevitabili, niſi operoſis aliis motibus occupetur, putredinoſa corruptione, præcavendis inſtitui, quis eſt, qui adhuc negare auſit, cum vel ipſum *vulgus* haud ignoret, convictum *euphoria*, hæmorrhagias *plerumque*, imo *perpetuo*, niſi *per accidens* contrarium eveniat, ſubſequente, & *præcedentia* incommoda, plethoræ conſectaria, gravitatem & torporem artuum, reſpirandi difficultatem, vagas exæſtuationes, dolores capitis aliaque præſentiſſime mitigante; confirmant ulterius *ſpontaneæ* ceſſationes, *ſtatæ*, plerumque *menſtruæ*, ſæpe *æquinoctiales* & *annuæ* revertendi *periodi*, *diverſa*, pro ætatum diverſitate, erumpendi loca, *incommoda* imprudenter *ſuppreſſas* vel ſponte *emanentes*, cauſſis tamen *materiali* & *occaſionalibus* non pariter ſublatis & evitatis, preſſo pede conſequentia, nec, niſi prorumpentibus denuo illis, vel ſubſtitutis perite *artificialibus* ſanguinis ventilationibus ſolubilia. *Salſa* autem illa ſanguinis acrimonia, credita hactenus, effectu venarum corroſivo, hæmorrhagiarum cauſſa, negligi potius, quam operoſe refutari meretur; nec quadrat huc nimia ſanguinis *reſolutio*, vel alibi ſuppoſita viarum *obſtructio*, certe cum circumſtantiis, ſupra tactis non conciliandæ.

§. VI.

Nullum autem *ſalutari* hæmorrhagiarum intentioni præjudicium adfert, quod *periculoſe* ſæpe, imo *lethaliter* terminentur, quando nimirum vel *copioſius*, vel *frequentius*, quam pro indigentia, vel locis minus *congruis* inſtituuntur, cum eventus hic *per accidens* fiat, vel ab *errore* ANIMÆ & *pertinacia*, quibus poſt lapſum ſubjecta deprehenditur, vel a *magna* quoque venæ alicujus *ruptura*, per preſſionem immoderatam inducta, unde deinde ſanguinem *paſſive* effluere, facile contingit. De hæmorrhagiis vere *paſſivis*, ex *violenta* vaſorum continentium læſione infra quædam dicemus.

§. VII.

CONGESTIONUM eandem eſſe cauſſam, quæ hæmorrhagiarum, ANIMAM ſcilicet, vel exinde patet, quod nihil ſint, niſi *apparatus ad hæmorrhagias:* in ſtatu enim ordinario ſanguis mediante

ante motu cordis pulſorio *æqualiter* ad omnes corporis partes diſtribuitur, unde nulla venæ alicujus ruptio, neque ſanguinis excretio ſequi poſſet, ad quam impetrandam neceſſario *majori* copia ad locum excretionis, eapropter ultra conſuetum gradum pro majori receptivitate relaxandum, ſtringendis contra ea partibus oppoſitis ad exprimendum contentum ſanguinem, & excludendum a tergo ſuccedentem, mediante motu tonico *active* congeri debet; id quod utrumque conſpici aperte poteſt, tum ex partium circa locum excretorium majori *turgeſcentia* ac *rubedine*, tum oppoſitarum *macie* ac *pallore*, poſt impetratam autem ſanguinis expulſionem ſponte mox diſparentibus.

§. VIII.

Congeſtionum harum diutius protractarum *effectus* tandem fiunt, STASES, INFARCTUS, SCIRRHI, denique EXULCERATIONES viſcerum. Sanguis enim *diutius* circa excretionis locum cum pertinacia detentus, atque ita extra motum *vegetum*, fluxilitatis ejus auctorem, poſitus, concurrente vaſorum ex diuturna expanſione, nimia *laxitate*, neceſſario ſpiſſeſcit, unde *infarctus*; qui dilapſis vel diſcuſſis repente *tenuioribus* ſui particulis, relictis craſſioribus, in *ſcirrhum* abit; hic autem adfuſis poſtliminio humoribus *ſeroſo-lymphaticis* in *ulcus*. Quamquam autem hæ viſcerum læſiones videantur *paſſivæ*, a cauſſa materiali *efficienter* productæ, earum tamen fundamentum ſunt *activæ* congeſtiones, ab ipſa ANIMA non ſolum *finaliter* primitus *inſtitutæ*, ſed potiſſimum ab EA, ſine ulla ſæpe ſpe obtinendi finis ſalutaris *erronee* & pertinaciter *continuatæ*; unde ſummo jure earum *rea* pronunciari poteſt.

§. IX.

INFLAMMATIONUM, easque concomitantium ſymptomatum, *tumoris*, *ruboris*, *doloris*, *caloris* cauſſam nequaquam eſſe ſanguinis in ſtaſin devoluti *paſſivam* corruptionem, vel exinde ad oculum patet, quod *ſphacelus* (ſimplex nimirum, cui corpus ex mixtionis lege quovis momento obnoxium eſt, putredo) fieri poſſit & ſæpe *ſoleat* absque ulla talium circumſtantiarum ſucceſſione; ſed ipſam potius ANIMAM, ni corpus ſuum certo cer-

tius

tius exſpectandæ, & actibus tot operoſis hucusque & conatibus abarcitæ, corruptioni putredinoſæ, *ipſo actu* ſubjici malit, ſanguini, ſtaſi correpto, priorem fluxilitatem procurare, atque priſtino motui reſtituere *moraliter* coactam; id quod nullo alio modo fieri poſſe a *priori*, & revera fieri a *poſteriori* patet, quam *copioſiori* ſanguinis *boni* & *fluxilis* adhuc verſus *locum*, ſtaſi obſeſſum, reſtrictione, & *vegeta* per eundem transpreſſione, ut ſanguis ita *coagulatus* ſucceſſive abripiatur, & conquaſſatione fluxilis fiat, unde illa *ſymptomata:* vel ſi *plenaria* diſſolutio ob ſtaſin majorem obtineri nequeat, atque ita ſanguis *ipſo actu* corrumpi jam incipiat, particulæ ad minimum *agiliores*, nim. *ſulphureæ*, putredinis *ſubjectum* & *inſtrumentum*, ſubtrahantur, reliquis aquoſis & terreſtribus in *pus album* faceſſentibus, nulli amplius corruptioni *putredinoſæ*, ſed ad ſummum *ſalſæ* ſubjectum.

§. X.

Ipſorum quoque DOLORUM ANIMAM eſſe cauſſam, cum ipſam male habeant, illa autem omne *adverſum*, cum ad *jucundum* potius ſuis deſideriis maximo impetu feratur, non poſſit non ſumme averſari, nemo tam facile crediderit: quisquis interim *eſſentiam* eorum & *formalitatem*, quin *finalem* intentionem plus ultra contemplatus fuerit, ANIMAM revera omnium, quotquot hactenus obſervatæ fuerunt, *dolorum* ſpecierum, exceptis forſitan, qui a violentis cauſſis originem ducunt, eſſe cauſſam, non poterit non perſuaſiſſimus eſſe. Fiunt enim dolores vel *a* congeſtionibus, vel *per*, vel *propter* congeſtiones; cum autem ſuperius *congeſtionum* cauſſa efficiens evicta fuerit ANIMA, neceſſario & *dolorum* erit, congeſtionibus non ſolum veſtigia legentium, ſed ipſiſſimæ earundem cauſſæ *inſtrumentalis*. *Eſſentia* enim & *formalitas* dolorum non niſi in *nimia* fibrarum *tenſione*, vel *activa*, propter materiam, vel *paſſiva*, a materia, eodem tamen *active* ab alio loco reſtricta, conſiſtit; *finis* autem ſtricturæ hujus fibrarum alius non eſt, quam vel *promotio* materiæ alicujus ſtagnantis aut ſubſiſtentis, eoque ipſo tum *moleſtæ*, tum *periculum* minantis; vel *emotio* materiarum, ſive ſola in præſens *moleſtia*, in futurum vero *periculo*; ſive etiam *præſentiſſimo*,

quod

quod non tam ſolum minentur, quam actu inferre ſoleant, vitæ *diſcrimine* odioſarum. Ulterius autem etiam, quæ dixi, demonſtrant non ſolum *periodici* dolorum, quoad horas, dies, menſes, æquinoctia, &c. *recurſus*, non niſi agenti *intellectuali*, & dimenſionis temporum compoti adſcribendi, ſed inprimis facilis poſthac eorundem *adſuetudo*, atque talis *cooriendi promtitudo*, ut propter longe *leviſſimas* deinde occaſiones, ſine ulla cauſſæ materialis *proportione*, ſuſcipiantur, immo ne quidem propter ullas *materias*, quam *ſimplices* potius *motuum directas* provocationes, ut ab animi pathematibus fieri ſolet.

§. XI.

SPASMOS & CONVULSIONES ANIMÆ pariter adſcribendos tanto minus, opinor, dubitabit, qui motus œconomiæ animalis tum *vitales*, tum *animales* ipſi tribuendos, e ſuperioribus adſumſerit, cum aliud nihil ſint, niſi *motuum* horum *exacerbationes*, *proportionate*, niſi quidem ſæpius *erronee*, materiæ alicui, *placidos* & *ordinarios* motus eludenti, atque vel propter tenacitatem & pertinaciam *vehementiores*; vel propter ſummam nocendi energiam & agilitatem *acceleratos* motus *moraliter* requirenti, vel *propellendæ* vel *expellendæ* finaliter deſtinatæ, (exemplo epilepſiæ, difficili variolarum eruptioni, vermibus, dentitioni difficili, tuſſi cum materiæ tenacitate conjunctæ, obſtructionibus alvi pertinacibus, & oriundis inde cardiogmis, quin & diarrhœis bilioſo-acribus infantum, menſium eruptioni tardanti, ſpermatis commoti retentioni, febribus aliisque morbis acutis, periculoſe decurrentibus, &c. Supervenientis, imo globuli vitrei in aurem intruſionem, teſte Hild. Cent. I. obſ. IV. ſubſecutæ) quo fine impetrato, *ſponte* deinde ceſſant, (excepto eo, quando diutius continuatæ plane *habituales* fiunt, h. e. ANIMA motibus illis crebrius repetitis tandem ita *adſueſcit*, ut poſthac, ſublata licet, vel nequaquam certe amplius proportionata cauſſa materiali, ex mera *adſuetudine*, quaſi ad ordinariorum cenſum jam pertinentes *erronee* continuet) illo autem non obtento, in *morbis* quidem œconomiæ vitali *cito pernicioſis*, anima omnem *agendi conatum* merito *deſerit*, tanquam *irritum* porro,

& nullius efficaciæ amplius compotem. His pro uberiori hujus ſententiæ probatione adjicio convulſiones, per *animi pathemata*, *iram* cum ingenti perturbatione vehementiſſimam, *terrorem anxium*, & ad *evadendum* vel *eluctandum* paratum, *timorem* cum ſumma trepidatione conjunctum, ſine ullo cauſſæ alicujus *materialis*, ne fingendo quidem, concurſu excitatas. Et certe; quisquis *motitationes* aliasque *epilepticorum* circumſtantias, *errabundam oculorum vibrationem*, ut cum Ill. Stahlio hic etiam, ut alibi, loquar, aut *fixum* atque *truculentum* obtutum, ſive *torvum* adſpectum, *ſtridorem dentium*, *linguæ volutationem*, tanquam ad loquendum intentæ, *ſpumam ante os*, *anhelam* & *contentioſam* reſpirationem, *motus artuum* cum ſummo *conniſu* laborioſos, (teſte poſt paroxyſmum, de qua ſolum conqueruntur miſeri, *laſſitudine* remanente) præſentem ſæpe *clamorem*, cum *iratorum* geſtibus contulerit, non multum *abſimiles* deprehendet, atque ita non abſurde convulſionum cauſſam cum Helmontio in ANIMÆ *indignationem* conjiciet, non abludente etiam illa circumſtantia, quod ad convulſiones in genere magis proni ſint, qui iracundiæ *præcipiti* & *acri* præcipue indulgent, ut *Cholerici*. Convulſiones porro a *faſcino* oriundas (per *idealem* nimirum *malignæ* & ad nocendum directæ *intentionis* impreſſionem: Sine ullius cauſſæ *materialis* communicatione) item epilepſiam per *imprecationem* incuſſam, ubi *materiam* accuſare velle, certe ridiculum foret, conceptam potius ab anima *trepidam*, *anxiam* & *terrificam* ideam ad *motus* tales, pro excutienda illa ex animo generaliter deſtinatos, provocaſſe ipſam veriſimile eſt: Exemplum ejus videſis in Ill. Stahlii Theor. med. ver. p. m. 1357.

§. XII.

Venio nunc ad morbum omnium *frequentiſſimum*, quoad ſpecies *numeroſiſſimum*, atque ita præ cæteris conſideratu digniſſimum, FEBRES nim. viſurus, an & hic ANIMÆ adſcribendus ſit. Omnino autem ab ANIMA proficiſci, non tam perſuadent, quam certiſſimum reddunt, omnes, quæ *febres* comitari ſolent, circumſtantiæ, ita certe comparatæ, ut *materialibus* cum reſpectibus in æternum conciliandæ non ſint: Ut ſunt

1) *Con-*

1) *Conſueta* conſtanter *certæ* cuidam febrium *ſpeciei* & *omni* & *ſoli* & *ſemper* ſymptomata, ratione temperamentorum *gradu* quidem nonnunquam, non *ſpecie* differentia. 2) Quod ordinarie *certa* anni tempora ſervent. 3) Quod paroxyſmi *certis diebus*, immo *horis* recurrant. 4) Quod febres *ordinatos* ſuos & *ſingulares* decurſus habeant. Quod 5) febrium continuarum *exacerbationes* communiter verſus *veſperam* fiant. 6) Quod *variolæ* conſtanter *idem eruptionis*, *ſuppurationis* & *deſiccationis* tempus ſervent. 7) Quod febres *legitime* decurrentes, neque *accidentaliter* turbatæ, *perpetuo* ſalutari exitu potiantur, & quidem non tam *promiſcue* quovis die, quam quidem *certis* & *definitis* diebus, *critici* inde dictis, quamvis non ſemper *critice*, h. e. ſimultanea excretione materiæ morbificæ ſolvantur, *ſenſibiliter* tamen in *melius* iisdem diebus patiens redire obſervetur. 8) *Conſueta* febribus *tempora*, *incipiendi*, *increſcendi*, *eo gradu perſiſtendi* & *declinandi*, & quidem tam in *parvis* infantum, quam *diffuſis* adultorum corporibus. 9) Quod febres tam facile *ſponte* ſua, & citra occaſiones proportionatas *repullulare* ſoleant, & hoc quidem non ſolum *brevi* interjecto *intervallo*, ut in *acutis*; ſed etiam admodum *longo*, ut in *intermittentibus*, imprimis *tertianis*, quin exemplis minime raris, *ſpatiis anniverſariis*, & in hominibus quidem nequaquam *debilibus*, ſed quam maxime *robuſtis*. 10) Quod febris, inprimis *tertiana* tam facili negotio *adſueſcere* ſoleat, ut ſubacta licet & ſublata *cauſſa* ſui *materiali* ipſa tamen febris non *ceſſet*, ſed patientes tales, extra paroxyſmi tempus cætera *ſanos* & *vegetos*, omnesque *functiones vitales* quam optime exercentes, ſolita *hora* redeunte *validus paroxyſmus* invadat. 11) Quod *paroxyſmi*, ſublata ſucceſſive cauſſa *materiali*, neceſſario quoque de die in diem *decreſcentes*, nihilominus *ſtatas* illas horarum *menſuras* recurſu ſuo *exactiſſime* ſervent, 12) ex adverſo autem, quod tales *paroxyſmos*, jam quantumcunque *quieſcentes*, *tertianarios*, præcipue rebus adhuc *recentioribus*, vel ſubjectis *ſenſibilioribus*, *promtiſſime* revocare poſſit non tam ſolum *adſumtio* intempeſtiva cibi aut potus, id quod adhuc *materiali* reſpectu gauderet; quam ipſe *nidor* talium rerum, immo nudus etiam *conſpectus*, quin in

admodum ſenſibilibus ſola *mentio*, vel tædioſa ad aſſumendum *perſuaſio*; 13) E contrario, quod *paroxyſmi* tales, jam aliunde *ſeneſcentes*, oblato inſperato *gaudio*, totum animum quaſi occupante; vel *averſione* animi a meticuloſa paroxyſmi exſpectatione, per *horæ* factam ab aliis diſſimulationem, quin in ipſo etiam *ſomno*, quando in tempus illius incidunt, ſæpe toti *emaneant*, ſæpiſſime ad minimum *mitigentur*: quid quod vel per vulgus nota ſit efficacia, paroxyſmos jam *ſeneſcentes*, & per *conſuetudinem* quaſi adhuc continuatos per *terrorem* inſignem obruendi & conſtanter tollendi; nec deſunt exempla paria, *inſtantes* paroxyſmos per ſupervenientem anxium *mœrorem* & præſentiſſimam *ſolicitudinem* non pro præſenti ſolum fuiſſe *interruptos*, & quaſi (ut res levis, in comparatione ad alterum objectum, præſentius damnum aut periculum comminans) *oblivioni* datos, ſed in poſterum etiam conſtanter *emanſiſſe*. 14) Quod febres ſoli tantum *ſpeciei humanæ* præ cæteris brutis ſint familiares, immo *propriæ*. 15) Quod febres *male* decurrentes, ex conditione cauſſæ *materialis*, ad corrumpendum admodum præcipitis, comitentur non tam *anguſtiæ*, quam veræ *anxietates morales* ipſius animi, per *lipothymias* quoque ſæpius ſeſe manifeſtantes, ex metu nim. inſtantis corruptionis, & periculum amittendi corporis, quæ & *criſin* inſtantem plerumque antecedunt, ob exitum adhuc incertum & dubium. 16) Quod *criſin ſalutariter cedentem*, atque ita reportatam de morbo victoriam, mox ſequatur animi *alacritas*, *tranquillitas*, imo *gaudium*, in ſingulas horas magis magisque ſeſe exſerentia. 17) Inſignis *pathematum animi efficacia* in *perturbandis* motibus febrilibus. 18) *Damna* febres nimis mature, ante plenariam ſc. materiæ eliminationem, *ſuppreſſas*, vel citius vel ſerius conſequentia. Quæ omnia ad oculum certe demonſtrant, febres minime eſſe *paſſivum* aliquid, a *materia* efficienter productum, ſed potius *activum*, ab ipſa ANIMA in *ſalutarem* finem ſuſceptum: quod & ipſa febris *eſſentia* & *formalitas* conteſtantur, in *pulſu celeri* & *frequenti* fundatæ: Motus enim *febriles* nulli revera alii ſunt, quam qui in ſtatu *ſano* œconomiæ animali jam *uſitati* ſunt, niſi quod ultra *gradum naturalem* aucti

ſint,

ſint, & quidem non *tumultuarie* forſitan aut *temere*, ſed admodum *proportionate* & urgente neceſſitate. Si enim partes excrementitiæ extraordinarie malignam & nocivam contrahunt qualitatem, neceſſario *motus vitales ordinarii*, ordinariæ illarum qualitati tantum deſtinati & ſufficientes, juxta *proportionem* energiæ nocendi ſunt *augendi*, ut quam citiſſime partes tales *corruptæ* & *corrumpentes* a reliquorum humorum conſortio ante, quam vim ſuam lædentem in actum deducant, ſeparentur & eliminentur. *Finalis* itaque febrium reſpectus eſt *expulſio materiæ* cujusdam, vel citius vel ſerius *nocituræ*, quo omnia denique *ſymptomata*, febres comitantia, collineant. *Augetur* enim motus cordis pulſorius, & ſanguis *citatius* in circulum agitur, ea intentione, ut hoc modo *partes* illæ ad nocendum paratæ eo *celerius* ad colatoria quæque ſua cum reliquo ſanguine, cui interagitatæ ſunt, deferantur, ibidem *ſecernendæ*, &, vel *ſimul* & *ſemel*, certo quodam die definito, quod *criſis* dicitur, vel *ſucceſſive*, quod *lyſis* vocatur, plane *excernendæ*. *Celeriorem* hunc ſanguinis *motum* & transpulſum neceſſitate *mechanico-phyſica* ſequitur major ejusdem *incaleſcentia*, ab eodem hinc plane *inſeparabilis*; eadem neceſſitate ſequuntur *rubor* & *dolor capitis*. *Sitis* eſt maxime *rationale* hic potus *copioſioris* deſiderium, tum pro *reparandis* particulis ſanguinis aquoſis, majori copia difflatis, tum *diluendo* ſufficienter *ſanguine* ad motum citatiorem facilius ſubeundum; tum *perviis* reddendis colatoriorum *poris*, tum denique præbendo particulis ſecernendis *vehiculo*. *Inappetentia* nullo nititur reſpectu *materiali*, ſed potius *morali*; certe enim ατοπον foret, œconomia vitali in ſummo corruptionis periculo verſante, ciborum tum temporis digeſtioni incumbere velle, imo hoſti intus nidulanti, & machinæ diſſolutionem minanti, *commeatum* quaſi advehere; inde etiam eſt, quod *febricitantes* præ omnibus aliis cibis *carnes* maxime averſentur, utpote corruptioni *putredinoſæ*, cui avertendæ & amoliendæ in præſentiarum incumbit ANIMA, *plus* cæteris obnoxias. *Laſſitudo* illa, primis ſtatim diebus invadens, nequaquam vera nititur virium *imbecillitate*, ſed reſpectu potius *intentionali*; cum enim vires motoriæ in vitalibus nunc *duplicandæ*

candæ ſint, quid rationalius, quam tantum de *motu animali*, ad vitam abſolute non neceſſario, detrahere, ut *vitalibus* addi *poſſit*, cum vires *animæ* ſint *finitæ* & *definitæ*; quid quod & hoc præterea uſu gaudeat, ut homo hoc modo ad *decumbendum* cogatur, quo minus *animæ* in legitime adminiſtrandis motibus *ſecretoriis* & *excretoriis*, præſertim per corporis *peripheriam*, acceſſu aëris maxime *alterabilem*, negotium & præjudicium adferatur. Nonnunquam quoque laſſitudinis hujus auctor eſt ſubtilis partium externarum *ſtrictura*, in certum *finem* ſuſcepta, quæ nonnumquam, membris diutius in eodem ſitu detentis, *eousque* increſcit, ut pro levamine aliquo *ſitus* membrorum ſæpius ægro mutandus ſit, exemplo in *petechizantibus* noto. Neque *vigiliæ* cauſſam *materialem* pro fundamento habent, quarum ſæpe ne ulla quidem allegari poteſt, ſed reſpectum mere *finalem*. Notum enim eſt experientia vel ipſis ægro adſtantibus, patientes tales non *ſimpliciter vigilare*, ſed quoad *omnes* ſenſus admodum *ſenſibiles* eſſe, ut vel minimum *ſplendorem* oculis ferre non poſſint; *Sonos* vel *murmurantium* tantum exacte audiant; *odores*, aliis non animadverſos, percipiant; *guſtu* admodum ſint *delicato*; *tactu* adeo *ſenſibiles*, ut calor aliique dolores ipſis longe *majores* videantur, quam revera ſunt, & ſanis tangentibus adparent: quæ certe cum *materia* conciliari nequaquam poſſunt; ſed ANIMA potius, cum *ſenſus*, quoad uſum corpori præſtandum conſiderati, nihil aliud ſint, quam *excubitores*, eapropter in *capite*, ut ſublimi loco, collocati, ut *imminentia* pericula *mature* perſentiſcant, quo corpus illis ſubtrahatur, eorundem *organa* in perpetua *tenſione*, etiam ſupra *gradum naturalem* aucta, ſervat, ne, dum interno œconomiæ vitalis hoſti debellando & exturbando eſt intenta, interea *forinſecus* quid ingruat, *præjudicium* ſibi & impedimentum objecturum. Quæ omnia manifeſte evincunt: *Febrim* nihil aliud eſſe, quam *ſalutarem naturæ* ſive ANIMÆ *conatum*, *quo motibus ſecretoriis & excretoriis ultra gradum ordinarium auctis, ſed intentioni finali proportionatis, materiam aliquam, corporis mixtioni & ſtructuræ quocunque modo nocituram ſive occupare ſive eliminare intendit*. Cui non inconcinne ipſa *febris*

bris adpellatio reſpondet, veriſimillime ab antiquis illis ritibus & feſtis ſolemnibus, *Februa* dictis, quibus ab *umbris defunctorum erraticis* domicilia *repurgare* conabantur, deſumta.

§. XIII.

Ordine nunc excipiunt *motuum* tum *animalium*, tum *vitalium* vel ex *parte* vel ex *toto* DESERTIONES. Has *animæ* attribuendas eo minus dubium eſſe poteſt, quod *ipſa* ſit *motuum* omnium in machina vigentium *principium*, quorum hinc *gradus* varii, vel *exceſſus*, vel *defectus*, vel plenariæ *omiſſiones*, cum corpus per ſe ſit paſſivum, nulli, niſi ipſi *moventi* imputandi venient. Clarius id paulo dilucefcet, ſi per *ſpecies* iverimus, & *cauſſas* cujusque *occaſionales* protraxerimus. Principaliſſimum vitiorum horum eſt APOPLEXIA, cum ſimultanea rationis, ſenſuum & motus, certiſſime animalis, in graviori etiam, vitalium imminutione & abolitione. Cauſſa, quæ ANIMAM ad deſtituendam ſimul & ſemel motoriam energiam inducit, quantum quidem hucusque crebris inſtitutis ſectionibus obſervari potuit, eſt *ſanguinis* vel *ſeri* circa plexum choroideum *extravaſatio*, vel ſaltim *varicoſæ* venularum cerebri *oppletiones*. Videri autem poſſet, non injuſtam ANIMÆ eſſe cauſſam, omnes motus omittendi, ob depravatam ita penitus nobiliſſimam ſuam officinam, cujus reparandæ & priſtinis uſibus reſtituendæ ita nulla amplius ſpes ſuperſit. Sed ſi cauſſam hujus *antecedentem* intueamur, quæ eſt *repentina* & *pertinax* ſanguinis ad partes cerebri *congeſtio*, pro ſcopo quidem *evacuatorio*, ſed ob deſuetudinem *minus ordinate* inſtituto, & nimia, ætati ſenili quaſi propria, *pervicacia*, absque ſpe tamen plerumque, coacto, certe ſola in ANIMAM culpa erit conjicienda. Quid quod experientia conſtet, ex *præcipiti iracundia* homines ſæpe *Apoplexia* fuiſſe tactos, ut loquendi illa formula exinde quoque ortum duxerit: Er habe ſich dermaſſen ereifert / daß es kein wunder / der Schlag hätte ihn gerühret. Nec ipſa medendi methodus, proficua hucusque obſervata, a ſententia noſtra abludit, tum *curatoria*, penitus eo directa, ut ipſum *principium movens* ad motus denuo ſuſcipiendos omni modo ſolicitetur, & quaſi cogatur: Ut ſunt: *Clyſte-*

res acres, *veſicatoria*, *rubefacientia*, *frictiones*, *vellicationes*, *ſternutatoria*, *acria ori infuſa & naribus admota*, ipſa *ferramenta candentia*, (Bügeleiſen) vertici & nuchæ adplicata, & quæ ſunt id genus alia; tum *præſervatoria*, in eo ſolo conſiſtens, ut ANIMÆ omnis occaſio quocunque modo præripiatur, *congeſtiones* verſus caput inſtituendi: quam veritatem ulterius confirmat, quod ſemel apoplexia tacti, & rurſus in præſens reſtituti, *rariſſime* alio morbo, quam *fortiori* ejusdem *recurſu*, mori ſoleant. Rarior paullo eſt PARALYSIS, morbus, ſi ullus alius, in numerum ANIMÆ tribuendorum referendus. Conſiſtit autem in *plenaria* motus tonici, tanquam ſenſus & motus animalis fundamenti, *omiſſione*. Adcuſatur quidem vulgo *obſtructio nervorum*, & *impedita* inde *ſpirituum animalium excurſio*; ſed cum *nervorum obſtructio* res ſit, a ſcientifico conceptu *aliena*, ſpiritus autem animales *entia* ſint *rationis* tantum, merito hic abſtrahimus. Conſtat e contrario experientia clinica, ſuccedere plerumque *paralyſin* prægreſſis vel convulſionibus *epilepticis diuturnis* & *vehementiſſimis*, vel motibus *ſpaſticis*, exquiſitiſſime *dolorificis*, *rheumaticis* & *arthriticis*, unde dicunt; Der groſſe Schmertz habe ihnen das Glied ſo zu ſchanden geriſſen. Inprimis etiam *exanthematibus ulceroſis* temere *cohibitis* (cujus in morbillis mihi exemplum obvenit) vel incidit etiam *tacite* nonnunquam, ſine ullis cauſſis manifeſtis. Cum autem tum *convulſiones epilepticæ*, tum *ſpaſmi* nil niſi *motus tonici* ſint *augmenta*, *finaliter* pro emovenda aliqua materia deſtinata, ANIMA autem ſcopo ſuo his motibus, diu fruſtra continuatis, potiri nequeat, quid mirum, ſi illa deinceps *faſtidio* aliquo corripiatur, motum tonicum in *tali parte* vegete porro adminiſtrandi, in qua eundem ſæpius *fruſtra* tentavit, adeoque *plane* tandem *omittat*. Sed nemo, opinor, tam facile perſuaderi ſibi patietur, ANIMAM tam *contumacem* in membro aliquo, quoad ſtructuram *integro*, motus *conſtanter* averſandi *intentionem* concepturam fore, cum id contra ejus intentionem impingat: ſed contrarium ejus ſpero, mox edocebitur, ſi firmiſſimas modo & pertinaciſſimas, ad mortem plerumque durantes, certi alicujus *cibi* vel *potus*, ex nauſeoſiſſima adſumtione,

ſumtione, vel violentiſſima ſecuta operatione *medicamenti*, in tali vehiculo ſumti, inductas *averſiones* conſideraverit. Confirmant ante dicta ulterius exempla curatæ *Paralyſeos* per ſolum *intentiſſimum* movendi *conatum*, & fortiſſimam *contentionem* ſine ulla artificiali ope. Exempla vide ſis in Valleriola & A. N. C. Tranſeo *traditiones* & *obſervationes*, quod atoniæ *paralytodes præſtigiis magicis* (quantum quidem concipere integrum, in ipſam patientis *intentionem idealiter* maxime agentibus) aliquando inferri ſoleant. *Frequentiores* his, ſed minus periculi involventes, & *tranſitoriæ* magis ſunt *omiſſiones* motuum SYNCOPTICÆ, quarum culpa eo magis ſoli ANIMÆ attribuenda erit, quod plerumque ſolis *animi pathematibus*, ſine ulla *inſtrumentorum corporeorum* læſione oriantur. Nituntur autem falſis plerumque & perverſis ANIMÆ nimis *ſenſibilis æſtimationibus* objecti alicujus *idealis* vel *corporalis*, ſive præſentis, ſive futuri, ANIMAM minus præparatam obruentis, unde illa ex *inopia* capiendi conſilii & inveniendi auxilii in *ſubitaneam* talem omnium motuum, qua animalium, qua vitalium, *deſertionem* delabitur, in interiora corporis quaſi ſeſe recipiens, & ab *objecti adverſi* ſenſu & perceptione ſubducens, donec poſt aliquam moram ſeſe quaſi recolligens ad priſtinas functiones revertatur. AFFECTUS SOPOROSI, cum ab apoplexia nonniſi *gradu* differant; & *incontinentia urinæ*, *procidentia ani & uteri*, *impotentia* itidem *virilis*, cum *paralyſes* ſint *particulares*, in eundem cenſum erunt conjiciendi.

§. XIV.

Quod ad SERI, idque conſtituentium partium excrementitiarum, *bilis*, *urinæ*, *ſudoris*, *muci* fluxus & excretiones auctas attinet, ut ſunt *coryza*, *ptyaliſmus*, *tuſſis humida*, *vomitus*, *diarrhœa*, *cholera*, *lienteria*, *dyſenteria*, *fluxus hepaticus*, *diabetes*, *pollutio nocturna*, *ſudor nimius &c.* nemo, credo, ANIMÆ illas abjudicabit, cum nihil ſint, niſi ſpecies motuum ſe- & excretoriorum auctorum, atque adeo principii ipſius moventis immediati effectus, in ſalutarem finem ſuſcepti, errore licet quandoque concurrente; quod etiam confirmant mala conſectaria, fluxus illos præmature ſuppreſſos excipientia, & nonniſi illis revocatis, tollenda.

§. XV.

§. XV.

Agmen claudant ſenſuum internorum vitia, nim. DELIRIA, non inconcinne ab Helmontio *inſomnia vigilantium* dicta, morbi κατ' ἐξοχὴν ANIMÆ proprii, vel ipſis mechaniſmi patronis adſentientibus, ſed eo ipſo, quoad eorum theoriam, admodum *intricati*, & vel perſpicaciſſimis crucem figentes. Quantum de illis dici & cognoſci poteſt, deliria ſunt vel *idiopathica*, vel *ſympathica*. *Illa*, quæ magis *directe* & ſimpliciter quaſi, ſive *immediate* ANIMAM adficiunt: *Hæc mediate* tantum vitali œconomiæ, graviter perturbatæ, *ſuperveniunt*. *Primi* generis deliria occaſionem ſumunt ab ipſius *mentis immediatis* perturbationibus, vel per *facultatum* ejus, *phantaſiæ* & *memoriæ*, nimias *concitationes* & *exagitationes* (cujus illi ſunt exemplum, qui ex nimis intenta & aſſidua *ſpeculandi*, *meditandi*, *memoriæ* mandandi &c. contentione ſenſim deliria ſibi adſciſcunt) præſertim ſi ad neceſſarii *ſomni* neglectum extendantur; vel ita *vividæ* ſint & *importunæ*, ut phantaſia ne in *ſomno* quidem quieſcens *inſomniis* vivaciſſimis omnem quietem excutiat: vel vehementiora *pathemata*, præſertim cum fortioribus *phantaſiæ* impreſſionibus conjuncta. Notiſſimum hujus aſſerti teſtimonium & exemplum præbent illi, qui *præſentiſſimo* & ſumme *anxio terrore* a *ſpectro* comparente perculſi, exinde deliri facti ſunt. Nec ignota ſunt exempla illorum, qui ex *ſuperbiſſima ambitione* ita tandem a *mente* dejecti fuerunt, reique illius & honoris, cujus ſitientiſſimi fuerunt, ideam adeo vivide phantaſiæ ſuæ impreſſerunt, ut poſthac ſe tales eſſe firmiſſime ſibi perſuadeant, nec ullis rationibus induci poſſint, ne credant. Sic *ira* quoque, quæ juxta poëtam *furor brevis* eſt, vel ad minimum *præceps* & *vehemens* ad iram *propenſio* mirum quantum contribuit ad *excitanda* & *fovenda deliria*, unde etiam ad deliria *maniodea* præ cæteris *Cholerici* ſunt diſpoſiti. Quid *timores profundi* & *diuturni*, quid *deſperabundus mœror*, quid *ſpei* firmiter conceptæ & diu ſuſtentatæ *fruſtrationes*, *labes* item *conſcientiæ* ad deliria *provocanda* & confundendam animam contribuant, noto notius eſt. *Poſterioris* generis deliria ad *tres claſſes* commode reducuntur; *Libidinoſa*, *melancholico-*

hypochon-

hypochondriaca, & *febrilia.* *Libidinoſa*, in feminis ſub *furoris uterini* nomine venientia, primum plerumque ortum ducere ſolent a *commoto* per *laſcivas* ſpeculationes & *deſideria ſemine*, nullo tamen exitu potito, ob varias obſtantes *difficultates*, vel *dedecoris* inde orituri, vel *ſeveræ* nimis *educationis*, vel *occluſionis*, vel *certarum legum.* Exemplum notatu dignum videſis in Zodiaco Gallico Blegny de virgine moniali mania mortua, cujus ovarium alterutrum poſt ſectionem ad pugni magnitudinem inflatum, cum multis globulis pellucidis, h. e. ovis inflatis veluti totum conſitum inventum fuit. Aliud exemplum delirii maniodis cum epilepſia, cujus paroxyſmi in ſpermatis excretionem terminabantur, legere licet in Ill. Stahlii Theor. med. ver. p. m. 1355. *Melancholiæ hypochondriacæ ætiologia* aliquali conceptui paullo propior eſt, cum *præfigurationes* illæ *phantaſticæ*, ſub hujusmodi adfectu fieri ſolitæ, *generaliter* ad minimum conveniant cum præſenti *motuum vitalium*, in ſpecie *progreſſivi ſanguinis*, conditione. Quemadmodum enim hic *ſanguis ſpiſſior* eſt, & ad motum expeditum ſubeundum minus diſpoſitus, concurrente ſimul *tono* viarum *debilitato*, eoque ipſo *ſtagnationes* ejus, denique *ſtaſes*, inde inevitabiles *funeſtæ* corruptiones impendeant, ita *mens* per *genericas* ideas *anguſtiæ anxiæ*, *imminentis* per inſidias *comprehenſionis*, immo *incarcerationis*, *ſuppliciorum* denique *capitalium*, hanc ſanguinis conſtitutionem *quadantenus*, ut in rebus, ſenſibus haud obviis, fieri poteſt, præfigurat: neque quidem id æque *promiſcue*, niſi in ſubjectis, profundis *ſpeculationibus* alias deditis. *Febriles* animæ perturbationes deliræ, cum plerumque rebus jam admodum *periculoſis* ſuperveniant, eo minus injuſtæ hinc habendæ ſunt, quin cum præſenti *vitæ periculo* convenientia haud deſtituuntur. Confirmant id illa objecta, quæ agitant, præſenti certe, aut ad minimum impendenti corporis conſtitutioni parallela: *depulſio* nim. *moleſtorum*, tanquam hoſtilium objectorum, virorum vel ſpectrorum: vel *evaſio* etiam ex maximo *æſtu*, extremis *anguſtiis*, injuſtis *detentionibus*: vel, quod *morti* proximorum proprium magis eſt phantaſma, ut arbitrentur, in *domo* ſe *aliena* eſſe, *conclavi*, *lecto*, &c. hinc *ſuam* domum & ad ſua abire

contendant. Quid aliud inde concludendum eſt, quam ANIMAM ex interna γνώσει jam agnoſcentem, corpus ſuum ita jam depravatum eſſe, & uſibus ſuis *inidoneum* redditum, ut meritò pro *alieno* habendum atque ita deſerendum ſit, inde alterius illius manſionis & domus originariæ, indoli ſuæ magis conformis, reminiſci, ad eamque ardenter contendere.

§. XVI.

VITIORUM, quoad TEXTURAM & STRUCTURAM occurrentium, ſive in homine *naſcendo*, ut varii *nævi*; ſive *nato*, ut variæ *excreſcentiæ* ſunt, exemplo *ſtrumarum*, *verrucarum*, *ſarcoceles*, *hyperſarcoſeos*, *ranunculæ* aliorumque *tumorum*, quoad ipſam *ſubſtantiam* augeſcentium, cauſſam quoque ANIMAM eſſe, quamquam *errantem*, is demum crediderit, qui ex ſuperioribus convictus fuerit, ANIMAM ſolam omnis ſtructuræ non tam præſidem ſolum, quam cauſſam eſſe *efficientem*, nec ullam vel minimam *fibrillam* absque ipſius *animæ concurſu* efficiente ita ſponte vel fortuito collabi poſſe; & ad oculum ipſa denique curatio id evincit, ſola plerumque ANIMÆ incuſſa *nauſeoſa* vel *terrifica*, vel ex majeſtate *attonita impreſſione*, quæ non tam ad *deſiſtendum* ſolum ab incepto opere, quam *retexendum* & deſtruendum, quod erronee conſtruxerat, diſponit, perficienda; exemplo *attactus manus mortui*, *Regum Galliæ* & *Angliæ*, *ſeptimi filii*, *bufonis*, aliarumque *magneticarum* curationum, in ſolam certe ANIMÆ *intentionem* operantium.

§. XVII.

SPHACELI, tanquam *ſimplicis*, cui corpus humanum ſibi relictum, & ſpecialiſſime *ſanguis* ſubjecta ſunt, *putredinis*, cauſſam ſolum eſſe ANIMAM non poteſt non quam clariſſime illi illuceſcere, qui ex ſuperiori *vitæ* deſcriptione noverit, hanc ad putreſcendum corporis animalis ſibi relicti promtitudinem operoſis motuum vitalium conatibus & adminiſtrationibus, ne in *actum* deducatur, inhiberi; inde neceſſario concludendum venit, ſi *actu* ipſo corruptio hæc putredinoſa ingruat & invaleſcat, ipſam cauſſam abſolute in *tergiverſante* motuum adminiſtratione vel plane *deſertione* a priori eſſe quærendam; ſiquidem, quam-

quamdiu *principium* illud *vitale* motus, corruptioni huic oppoſitos, *vegete* ſaltem, *vigilanter* & *ſolicite* continuat, *putredo* illa oriri, ad minimum ex cauſſis violentis orta, *invaleſcere* nequaquam poſſit. Cum e contrario ANIMA ex erronea *ſcopi* ipſius *deſperatione*, *media* quoque ad illum ducentia omittente, imo ex *formidoloſa putredinis* hujus in actum jam deductæ, averſatione ipſum *proximum contactum* fugiente, non poſſit non corpus ſibi relictum illam, ad quam quaſi proprie factum eſt, *putredinem* ſubire. Confirmat modo dicta ipſa *Sphaceli* hiſtoria, dum non ſolum ſenſus in ipſa parte *adfecta* perit, ſed & ipſum membrum per *viciniam* partis adfectæ ordinarie *turgeſcit* tumore *pallido* & *frigido*, qui poſt aliquot horarum ſpatium ſcalpello pertuſus nullo amplius ſenſu gaudet, nec *ſincerum ſanguinem*, quin merum tantum *ichorem cruentum* fundit, reliquo ſanguine, ſtricte dicto, adparente *coagulato*, quæ portio mox præcipiti progreſſu in *putredinem* ruit, manifeſto documento deſtituti ibidem *ſenſus* & *toni* vitalis, non ſolum *ante*, quam *actualis* vera corruptio adſit, ſed revera rebus ita adhuc conſtitutis, ut *ſenſus* & *motus* partibus illis ita deſtitutis, curatione bene procedente, iterum redire poſſint; quemadmodum obſervatio practica monſtrat, rebus valde *analepticis*, ut nominatim *oleo cinamomi*, item *caryophyllorum*, id fieri poſſe & revera fieri, quibus *energia* illa *influxus vitalis* iterum quaſi revocetur & retineatur. Confirmat ulterius methodus alia ſiſtendi ſphacelum, per viciniæ nim. *ſuppurationem*, quam ſine vitalis energiæ concurſu fieri non poſſe ſupra de inflammatione evicimus. Poſſet huc ad ulteriorem ſententiæ hujus confirmationem adduci hiſtoria illa, certe notatu digna, a Bartholino Hiſt. Anat. Cent. I. hiſt. 69. relicta, niſi potius ad miraculum referenda ſit (certe tamen ſoli ANIMÆ activitati a priori corroboratæ, potius, quam materiali alicui reſpectui, ſuperſtructum) de ſphacelo pedis, circa medium ejus ſponte ſubſiſtente, reliqua corrupta portione decidente, ſine ullo artificiali adjumento.

§. XVIII.

Morbos SOLUTÆ per cauſſas violentas UNITATIS in

morbo-

morborum quoque, ANIMÆ imputandorum tribum conjicere velle ridiculum foret, interim revera *trepidam* ipſius ANIMÆ ſtationis ſuæ *deſertionem* (qua ſine corpus violenter disjungi minime poſſet) pro cauſſa agnoſcunt, unde omni jure ipſi ANIMÆ imputari poſſunt.

CAP. IV.

De

ANIMA RECONVALESCENTIÆ CAUSSA.

§. I.

CUm ab antiquiſſimo etiam Hippocrate jam olim pronunciatum fuerit, *naturam* eſſe *morborum medicatricem*, neque alius quisquam, quod ſciam, vel veterum vel recentiorum in dubium id vocare vel inficiari auſus fuerit, quin potius veritati huic adſurgere non detrectarit, teſtibus libris eorum practicis, ubique *naturam* hanc crepantibus, facile ulteriori veritatis hujus probatione ſuperſedere poſſem, ſi modo inter omnes conſtaret, quid proprie per *naturæ* illud vocabulum intelligendum ſit: ſed cum pauci admodum cum *Hippocrate* Libr. de inſomniis 1. §. 2. & Galeno ipſam ANIMAM eſſe, rotundo ore eloqui velint; plurimi potius, neſcio quæ, agentia fictitia, niſi plane μορμωλυκεῖα, modo *ætherem*, modo *ſpiritus*, modo *ſuccum nerveum* & id genus alia, machinam protrudentia magis, quam ſcite & proportionate moventia, ſubſtituere malint, & hic labor adhuc ſubeundus eſt, ad probandum, quod ſola ANIMA ſit decantata adeo *natura*, atque ita morborum medicatrix.

§. II.

Fundamentum hujus rei præcedenti quidem capite me jam jeciſſe recordor, ſtabiliendo, *morbos* proprie nihil aliud eſſe, quam

quam *molimen naturæ*, ſive ANIMÆ, *ad materiam aliquam, vel quantitate vel qualitate peccantem, atque ita œconomiæ vitali damnum aliquod vel interitum minitantem, ope motuum vitalium, extraordinarie, proportionate tamen, auctorum eliminandam.* Cum enim morboſæ diſpoſitiones *Vitæ* proprie ſint oppoſitæ, ad eamque evertendam collineent, quin plane, ni mature obviam eatur, pertingant, neceſſario illi *enti*, cujus proprie intereſt, ut corpus *vivat*, h. e. in mixtione & ſtructura perduret, & quod ſuperius ANIMAM eſſe, clare, ſpero, evicimus, incumbit, quam poteſt ſolicite eo invigilare, ne hoc fiat, ni malit tota ſua *deſtinatione* & ſcopo excidere, atque ita protinus omnia vitalitatis impedimenta, tum *præſentia*, tum *imminentia*, quæ *ſenſu* quodam interno ſubtili, hinc *vitalis* dicendo, percipit, removere; & quidem, cum ordinarii motus *placidi* eorum *ortum* non impedire, ne dum ea *tollere*, poſſint, neceſſario juxta proportionem cauſſæ lædentis *multiplicandi*, cum quidem nulla unquam machina, ſemel læſa, *ſemet ipſa*, juxta ipſas mechaniſmi regulas, reparare poſſit.

§. III.

Non autem ſolum ita fieri debere & poſſe, ſed revera *ſolere*, ipſa demum quotidiana experientia monſtrat, ſpontaneæ nim. absque ullo *artificiali* concurſu, *morborum*, etiam maxime ſonticorum, *curationes*, non *raræ* forſitan, ſed *numeroſæ*; non *aliquando* contingentes, ſed *perpetuo*, & quidem, quod maxime notandum, *certis diebus*, & *eadem* in omnibus, illo morbo decumbentibus, *methodo*, nempe manifeſtis materiarum noxiarum *excretionibus*, quæ quo minus *libere* ſuccedunt, vel penitus *emanent*, eo *periculoſior* morbi eventus hinc metuendus eſt. Nec obſtat, multos ægrotantes nihilominus morbis perire, quod contradictorium eſſet, ſi ipſius ANIMÆ in *ſalutem* directi eſſent *conatus*. Sed dico, diſtinguendum eſſe, inter mori *in* morbo & *ſub* morbo, ac inter mori *a* vel *ex* morbo; hoc certe contradictorium foret, mori ex *medicina*: *morbus* enim noſtro ſenſu eſt *morbi*, proprie ita adpellandi, nim. damni, vitæ vel imminentis vel illati, *medicina*; ſed quisquis moritur, perit *ſub* morbo,

h. e. minus *legitimo morbi decurſu* & *ſucceſſu*, quo *legitime* decurrente homines potius *convaleſcunt*. Quando enim læſio corporis ita comparata eſt, ut ſuis ANIMA conſiliis & auxiliis ſatisfacere non poſſit; vel IPSA ex *immorigera* ſua indole, nimia *ſenſibilitate*, & *perverſa* hinc *æſtimatione*, mala *conſuetudine*, diſpoſitione *hæreditaria*, *idioſyncraſia*, *peſſima* materiæ peccantis *temperie*, mala *viarum* diſpoſitione, *animi pathematibus*, *inſuetudine* ægrotandi, in legitima methodo *aberret*, atque ita motus vel *exceſſive*, vel *defective* & tergiverſanter, vel *inordinate*, & in *incongruis* partibus & organis adminiſtret, vel ex deſperatione plane omittat, ad quos errores poſt lapſum admodum prona eſt; teſtibus vel ipſis *moralium* functionum, & tamen vitalibus longe *principaliorum*, quotidianis erroribus, non poteſt non alius, quam prævifus & exſpectatus, h. e. funeſtus eventus inde oriri.

§. IV.

Abſolutam ANIMÆ in *morbos* ſanandos poteſtatem præ omnibus aliis abſolute evincunt curationes morborum MAGNETICÆ & MAGICÆ, per *amuleta*, *ſigilla*, *characteres* vel *incantationes magicas*; ſive jam *phyſice* agant, (multis enim amuletis *realis* agendi, nec ſoli perſuaſioni innixa, *efficacia*, quamquam modo agendi ignorato, nequaquam eſt deneganda) ut *Xenexta* & *amuleta*, nec non pulveres & unguenta *ſympathetica*, certe in ipſius ANIMÆ energiam, nequaquam nudam *materiam*, receptionum talium *magneticarum* minime capacem, agunt: ſive *moraliter*, ſolam in patiente *phantaſiam* excitando & corroborando, unde ANIMA officii *vitalis*, negligenter hactenus & tergiverſanter adminiſtrati, admonita, de novo illud vegete reſumit, & collectis quaſi viribus hoſtem *morbum*, quem hactenus adoriri meticuloſe tergiverſata fuerat, adgreſſa, facile e domicilio ſuo expellit.

§. V.

Idem non minus adſtruunt quotidianæ per ipſa *medicamenta* curationes, tum EVACUANTIA, tum SPECIFICE ALTERANTIA. Cum enim evacuantia per motus *ſecretorios* & *excretorios acceleratos* operentur, in ſolos *motus*, atque ita conſequen-

ſequenter in ipſum principium *movens*, ſi non immediate, *mediate* tamen per corpus agant neceſſe eſt, cum in corpus mortuum & ANIMA inhabitante orbum abſolute nihil poſſint. Sic & *ſpecifica* illa, in minima ſæpe doſi juvantia, eo ipſo in ipſos *motus* operari, neutiquam in *materiam*, (inter quam & ipſum medicamentum neceſſario juſta debet eſſe proportio, quæ hic non reperitur) manifeſtum eſt, cum & in illis tantum morbis adhibeantur, qui in ſola *motuum adſuetudine*, absque materiæ proportione (qua adhuc præſente & prius eliminanda, *noxia* deprehenduntur) radicantur. Ipſa illa adeo decantata, & votis omnium expetita MEDICINA UNIVERSALIS, ſi quæ datur, (dari autem credo) nonniſi in ipſum principium *vitale* operari, illius *energiam* roborando, *ideas* morboſas exuendo (vel potius ita exhilarando, ut ideis triſtibus & morboſis omiſſis, denuo ad intermiſſa munia vitalia lætabunda revertatur) &c. tum *minima* ejus *doſis*, nulli *materiali* cauſſæ reſpondens; tum *diverſa* & *contraria* ſæpe morborum *cauſſa materialis*, ab uno eodemque medicamento nequaquam ſubigenda; tum variæ, modo per *vomitus*, modo *alvum*, modo *urinam*, modo *ſudorem*, modo ipſam *ſalivationem*, modo *inſenſibilem tranſpirationem*, aliasque *criticas* interdum *metaſtaſes*, pro *materiæ* peccantis erga loca *excretoria habitudine*, non *ſpecifica* in locum hunc vel illum operatione, ſubſequentes excretiones haud perplexe demonſtrant.

§. VI.

Quot præterea morbos ſolis ANIMI PATHEMATIBUS curatos fuiſſe, & quotidie curari experientia non conſtat? *Terrore* vehementi ipſos *paralyticos* (qui morbus eſt raro alias vel nunquam curabilis) ad *movendum* corpus, intuitu *præſentiſſimi* periculi, ita *contentioſe* fuiſſe concitatos, ut impotentiæ ſuæ *motoriæ* obliti non tantum corpus reſolutum *expedite* moverint, ſed & e ſublimi ſæpe deſilierint, *integra* poſthac movendi pro lubitu corpus poteſtate gaudentes, Practicorum evoluta teſtantur monumenta. Quid quod ipſum vulgus noverit, impreſſione *terrifica* ſiſti *hæmorrhagias*; vel pueri, eadem ut & *exſpectatione ſuſpenſa*, *ſingultum*; quin ipſos ſæpe *febriles* paroxyſmos *ſeneſcen-*

tes. Ira, quid in nonnullis morbis, nominatim etiam *paralyſi* præſtiterit, tum exempla ex Practicis nota, tum A. N. C. oſtendunt. *Gaudium inſperatum*, quæ ſæpe miracula quaſi faciat, teſtantur illi ægrotantes, qui morbis *periculoſis* decumbentes exinde repente convaluerunt. Haud poſtremum veritatis hujus confirmandæ teſtimonium tuebitur *confidentia* ægrorum in certum aliquem *medicum*, vel *medicamentum*, ut ægri jam dimidiam partem ſanati videantur, ſi medicum tantum, cui adeo confidenter credunt, viderint; unde de medicis proverbium jactatur: *is plurimos curat, cui plurimi fidunt.* Huic etiam ſoli certe fundamento curationes *agyrtarum*, nequaquam medicamentis eorum, plerumque futilibus, adſcribendæ, innituntur.

§. VII.

In morbos *ſolutæ unitatis* ars ne minimum quidem *juris* habet aut poteſtatis, ſed ſoli ANIMÆ ſanandi incumbunt. Cum enim partium diviſarum coalitus non niſi per methodum *nutritionis*, *adpoſitionis*, imo novæ *texturæ* & ſtructuræ perpetretur, nulli certe alii *agenti*, quam ANIMÆ, nutritionis & ſtructuræ præſidi, id tribuendum erit; quod *ſpontaneæ vulnerum*, *ulcerum*, *rupturarum*, *fracturarum* aliarumque continui ſolutionum *absque* ullis medicamentis toto die contingentes *ſanationes* a poſteriori demonſtrant; totusque ille *medico-chirurgicus* adparatus non niſi ſolam ſanandi *impedimentorum remotionem*; ut *defenſiva*, *digeſtiva*, *ſeptica*, *emplaſtra*, aliaque tegmina: vel ad ſummum ipſius *energiæ ſtructoriæ* lætificam a priori excitationem, ut ita dicta *balſamica* & *ſarcotica*, reſpicit. Inde eſt, quod in *junioribus*, & intra auctionis terminum adhuc conſtitutis ſolutæ unitates *duplo*, *triplo*, imo *quadruplo* citius, quam in *ſenioribus*, coaleſcant, in quibus energia vitalis jam ſenſibilia decrementa capit, nec tam vegete amplius officinæ animalis læſionibus reparandis incumbit. *Nævorum*, aliarumque *excreſcentiarum* curationem jam in medium adducere ſuperſedeo, cum ſoli ANIMÆ in acceptis referendam eſſe, remedia, per ſolam *patheticam* impreſſionem agentia, cuivis mediocriter intelligenti ingerant.

§. VIII.

§. VIII.

Poſſem nunc univerſalis hujus adſerti veritatem per ſingulas fere *morborum ſpecies* ſingulatim vindicare, cum nullus ferme morbus ſit, cujus *ſponte* curati, & per notabiles quidem, ANIMÆ *autocraticam* poteſtatem ſtabilientes, circumſtantias, exempla non occurrant; ſed extra oleas vagari videri poſſem, nec diſſertationis limites, jam præter opinionem & intentionem nimis progreſſi, permittunt. Reliquum nunc eſſet, ut & MORTIS theoriam ſubjungerem, deducendo, quomodo & hic culpa in ANIMAM omnis conjicienda ſit, corpus ſuum ex *faſtidio*, *trepidatione*, *terrore*, *deſperatione* &c. deſerentem, ſed hæc nimis forte *metaphyſica* haberi poſſent.

Unde diſſertationis hujus eſto

F I N I S.

LAUS DEO TRIUNI.

EPIMETRA

I.

In vulnerum inſpectione diligenter non tantum & omni ſtudio in plagæ evidentis conditiones cunctas, ſine improvida tamen ſtili vel cultri immiſſione, ne vel vulnus gravius, vel plane novum inferatur, diſquiratur; ſed totum *inſimul cadaver, an forſan aliud in eo vulnus lateat, exterius perluſtretur, quo a cruentatione, livore, tumore ſimilive phænomeno ad interiorum læſorum inveſtigationem ducatur Medicus.* Bohnius *de off. Med. dupl. p.* 589.

II.

Neque tamen ad prudentius deponendum ſola ſemper ſufficit cadaveris inſpectio, ſed ſciſcitari quoque Medicum deponentem oportet a Medico, *Chirurgo & adſtantibus, qui vel* vulnerati curam geſſerunt, *vel percuſſioni adfuerunt, de percuſſi conſtitutione*

naturali

naturali ac p. n. præcedanea, de ictus vehementia, ſymptomatis, curationis methodo, diæta, *ac ſimilibus.* Id. p. 594.

III.

Non poſſum non redarguere illos Medicos, neſcio an malitiæ, an hebetudinis, qui quæſtionis primariæ immemores eam frivole immutant, ac non ad caſum individualem, ſ. ſub terminis adæquatis, ſed generaliter omnino reſpondent, ab uno vel altero exemplo ad individuum præſens perperam concludunt: v. g. dum quæritur, an hoc in Titio vulnus cerebri ſit lethale? (vel per trepanationem adhibendam ſanabile fuerit?) *plagas cerebri aut non omnes, aut non ſemper, mortem inferre ſeu intuliſſe* (cerebri portionem ſine vitæ diſcrimine aliquando fuiſſe exemtam, trepanationem in nonnullis capitis læſionibus feliciter fuiſſe adhibitam) *prolixo ac tædioſo ſermone, & non raro ſub multorum commentariorum atque obſervationum inconcinna allegatione adſtruunt.* Id. p. 612.

IV.

Pariter quidam animi inconſideratioris plagas ἐγκεφάλου (cerebri) *enormiores aliquando minus lethales improvide ac jactanter ſatis pronunciant, quaſi his per modiolum* (trepanum) *facile & commode mederi licuiſſet: cujus tamen inſtrumenti nec figuram, nec indicans genuinum, nec permittens ſeu prohibens, nec adminiſtrandi rationem norunt; hinc in judicando ſe adeo præcipites dant.* Id. p. 631.

V.

Nullum capitis vulnus, utut leviſſimum viſum, negligendum eſſe, ut Hippocrates ſuo tempore bene monuit, ita hodie inculcare velle, ſupervacaneum arbitror, cum vel ipſis tironibus Chirurgorum ignotum amplius eſſe nequeat.

VI.

V. Snis in febribus malignis, in ſpecie Petechizantibus, adminiſtratæ, certa plerumque conſectaria circa dies criticos eſſe ſolent inflammationes faucium aphtodes, deliria, affectus ſoporoſi, & ſæpiſſime Mors.

F I N I S.